RADULFUS FLAVIACENSIS

Anfang 13. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36538
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

ma nos instruit dicens. Hec dicit dominus
deus. Porta atrii interioris que respicit
ad orientem, erit clausa sex diebus in quibus
opus fit; die autem sabbati aperietur. Atrium est la-
titudo exterior qua sensus carnis diffun-
ditur, dum multiplices corporis formas per-
cipit aut iam perceptas recolit. Atrium interius
divinarum rerum contemplatione animum
dilatat, quod nisi in purgate mentis acie penetra-
tur. Porta ergo atrii interioris que orientem
respicit, id est que spiritualis intellegentie
solem admittit, sex diebus clauditur in quibus
opus fit, quia divinorum cognitio non nisi
quietis et vacantibus aperitur. Unde scriptum est:
Vacate et videte quoniam ego sum deus. Mar-
tha namque dum sollicita est erga plurima pertur-
batur, et Lia, id est laboriose acies ne subti-
liora perspiciat, sua lippitudine prepeditur.
Sabbati vero die porta hec de qua loquimur aperi-
tur, quia pulchra facie Rachel corde vi-
gilat dum exterius consopitur, et patriarche Ia-
cob dum in Bethel quiescit posito ad caput
lapide celestia secreta panduntur. Iam
ergo manifestum existimo quod nos ostensuros
spopondimus, iuxta perfectum puritatemque
sanctorum varie sabbati ferias ceterarum dum hic vivunt
observari, et si debitum persolvunt. Hunc
ad reliquarum pertractanda debet intentio revo-

De paschalibus feriis. capitulum.

Hec sunt ergo ferie domini sancte, quas
celebrare debetis temporibus su-
is. Hucusque de sabbato tractatum
est, quod singulis ebdomadibus dierum
ordine revoluto lex celebrandum decre-
vit. Nunc ad reliquas sollempnitates transitur,
que semel in anno suis temporibus observan-
tur. Mense primo quarta decima die ad
vesperum phase domini est. De sollempnitatibus fi-
liorum Israel tractaturus legis lator initio
ab illius morte incipit, qui moriendo mor-
tuis vitam restituit, et perpetuo luctu dam-
pnatos ad perenne gaudium revocavit.
Per hominem enim mors, et per hominem resur-
rectio mortuorum; sic namque in Adam omnes
moriuntur, ita et in Christo omnes vivifica-
buntur. Huius itaque crucem mortemque prefi-
gurans Moyses, velata vultus sui clari-
tate: Mense inquit primo quartadecima die
mensis ad vesperum phase domini est. Phase ebre-
um est, et transitus interpretatur. Si quis agnos-
cere quis sit dominus cuius hic transitus commemo-
ratur, recole verba euangeliste: Sciens inquit Ihesus
quia venit eius hora ut transeat ex hoc mun-
do ad patrem. Huius itaque transitus sub ag-
ni paschalis immolatione presignabatur,
transitus veri agni qui tulit peccatum mun-
di. Primo mense idem luna aprilis, quando
resoluta yemis asperitate innumeros fetus
tellus effunditur, quia Christo passo in cruce
ac passione illius sacrasancta per apostolos divul-
gata, ut fidem eius recepit mox ad fructum
iusticie mundus resurrexit. Cur vero immo-
lationi agni legalis luna xiiii. deputa-
ta sit, iam quidem supra longe reddita est ra-
tio, sed tamen non absurde creditur si repetatur. Quar-
tadecima ergo die ad vesperum dum sol in occa-
sum flectitur, luna in oriente plena lumi-
nis sui integritate ad alta sustollitur. Lu-
na autem ecclesia est, huius sponsus Christus sol ius-
ticie, cum per eius redemptionem mortis occa-
sum petiit, illa de dampnationis sue
baratro sanguine illius a sordibus suis
abluta conscendit. Que est ista inquit que
progreditur quasi aurora consurgens, pulchra
ut luna? Mense ergo primo quartadecima
die mensis ad vesperum phase domini est, et xv.
die mensis huius sollempnitas azimorum domini est.
Notandum quod vespera xiiii. nichil de sol-
lempnitate loquitur legis lator, sed tantum
phase inquit domini est. Transitus quippe ille non